

autem dicitur filius Dei, aut filius hominis, et si ibi in qualibet voce una tantum exprimat natura, duæ tamen dantur intelligi duplici ratione. Una, quia vox illa, filius hominis, aut illa filius Dei, non est nomen naturæ, sed nomen suppositi: in quo quum fiat duæ naturæ, ambæ dantur intelligi, quia per nomen suppositi datur intelligi totum suppositum prout est. At cum sit in duabus, et si non explicetur nisi una, non tamen per hoc separatur ab altera. Altera ratio est, quia sæpe nomine Patris datur intelligi totum, & nomine unius naturæ datur intelligi totum suppositum in duabus naturis subsistens: ut gratia exempli, homo res quædam est, ex duabus naturis admodum diversis composita, corpore videlicet, & anima, & tamen nomine unius illarum sæpe totus homo denotatur: quem modum loquendi non abhorrent sacra litera. In Genesi etenim cap. 26. quum enumerantur omnes, qui cum Jacob ingressi sunt Ægyptum, sic legitur: *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de semore ejus, absque uxoris filiorum ejus, sexaginta & sex.* Et post pauca iterum: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Ecce hic vides nomine animæ totum hominem designari. Vide etiam eum nomine carnis significatum. *Non permanebit, inquit Deus Genes. 6. spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* At caro nomen est proprium alterius tantum naturæ duarum, ex quibus homo componitur. Quod si hoc bene considerasset Nestorius, nunquam in tam impiam lapsum fuisset hæresim, duas personas distinguens propter duas quas cognoscebat naturas: nam ex rebus creatis posset quodammodo in tam admirabilis sacramenti cognitionem pervenire. Nam homo et si duas naturas habeat valde diversas, una tamen est persona, diversas denominationes suscipiens propter diversitatem naturarum, quoniam mortalis dicitur, & hoc propter solum corpus quod moritur, quamvis anima immortalis sit. Dicitur etiam intelligens ratione animæ, quæ sola in homine intelligit. Dicamus cum catholica Ecclesia sentiens, Christum Dei filium duas habere naturas, divinam videlicet, & humanam, inconfusas in unitate suppositi, sine ulla earum mixtione unitas, ita ut unus, & idem sit Dei filius, & hominis filius. Qui vero aliter sentit, ut duos faciat filios, unum hominis, alterum Dei, est Antichristus, ut Joannes Evangelista, cap. 4. ait: *Omnis (inquit) spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus: quamquam in codicibus Græcis non sic habeatur, sed sic: Omnis spiritus, qui non confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo non est.* Verum hæc lectionis varietas ut alia sit apud Latinos quam apud codices Græcos nunc reperitur, inde evenit, quod (ut ait historia Tripartita, lib. 12. cap. 4.) hæretici hunc sensum ex veteribus exemplaribus abstrulerunt, qui volebant separare ab hominis dispensatione divinitatem, itaque raterunt id quod illis apertissime obviabat, sicut alias sæpissime eos fecisse constat. Sed Erasmus Roterodamus in suis annotationibus super novum testamentum editis, suspicatur hanc particulam, quæ nunc in Latinis codicibus habetur, adversus hæreticos esse additam, quorum alii Christo sic tribuebant humanam naturam, ut adimerent divinam; alii sic tribuebant divinam, ut adimerent humanam. Hanc autem suam suspensionem cum aliquo modo confirmaverit Erasmus, non tamen sic eam mordicus tenet, quin liberum dimittat cuilibet suum judicium, ut sentiat prout velit. Quapropter juxta libertatem ab eo donatam lo-

quens, dico magis consonum esse, particulam illam non esse additam. Primo, quia et si Ecclesia hanc habeat consuetudinem, ut propter novas hæreses insurgentes, novas effingat voces, nunquam tamen reperietur, ut in sacris litteris aliquid addiderit minueritve. Sed forte dicit, hoc non ab Ecclesia additum, sed ab aliquibus doctis viris quod postea successu temporum sic ab omnibus susceptum est. Verum hoc negari non potest, à quorum fragmentis in unum confarcinatis, Historia illa Tripartita nomen accepit, Græcos fuisse, & Græce scripsisse, qui è Græco in Latinum per Epiphanium Scholasticum, horaturo Calsiodori, versi sunt. At auctor ille, unde hoc sumptum est, dicit in antiquis exemplaribus sic haberi: *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo est.* Non ergo apud solos Latinos sic habetur, sed apud Græcos sic tunc habebatur. Fieri ergo potuit, ut antiqua exemplaria perderentur, & supersit illa sola, quæ ab hæreticis depravata sunt, & quæ ab illis exemplaribus fuere transscripta. Præterea idem auctor historia dicit, veteres interpretes hoc ipsum designasse, quod aliqui adulterant hanc epistolam, solve re hominem à Deo volentes. Auctorem vero illum, unde hoc sumptum est, constat esse Socratem: quoniam à principio undecimi libri usque ad finem duodecimi, in quo ista narratur, nullus alius intitulatur quam Socrates, qui, ut constat ex ultimis verbis historiae, tempore Theodosii junioris fuit, quo tempore etiam fuit Nestorius. Rursus, beatus Leo Papa hujus nominis primus, in epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, contra Eutychem hæreticum agens, verba illa adducit: *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Leo autem hic valde vicinus fuit Nestorio, immo (ut conjicere possum) coævus, quamvis forte non fuerit Papa tempore Nestorii: quoniam Nestorius tempore Papæ Cælestini fuit, sub quo celebratum est Concilium Ephesium, in quo damnatus est Nestorius. Cælestinus autem (ut Platina testatur) præfuit Ecclesie annis octo, mensibus decem. Post Cælestinum præfuit eidem universali Ecclesie Sixtus tertius, annis octo. Post istum successit Leo, de quo nunc agimus, qui particulam illam, prout nos nunc habemus, citat. Quod si illa fuisset tunc addita, non fuisset adeo demens, ut contra hæreticum agens, testimonio suppositio, aut addito uteretur. Quapropter mihi magis placet, ut dicamus illam esse veram litteram, quam nunc codices Latini continent, & Græcos codices fuisse (prout Historia Tripartita refert) ab hæreticis depravatos. Et ita hoc testimonio Joannis adjuti, dicimus Nestorium de spiritu Antichristi fuisse, quoniam omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Quis autem est, qui verius solvit Jesum, quam Nestorius, qui divinam à Christo separat naturam, duas ponens personas, unam deitatis, aliam carnis? dissolvens illum admittibilem nexum utriusque naturæ in unitate suppositi. Contra hanc hæresim est Concilii Ephesini definitio, in qua post multa quæ illic contra Nestorium ex sacrae scripturæ testimoniis definiuntur, sic decernitur: Igitur quia Deum carne unitum juxta substantiam, sancta virgo corporaliter peperit, ideo eam Dei genitricem esse profiteamur, non quod verbi natura existendi principium de carne sortita sit (erat enim in principio verbum, & Deus erat verbum, & verbum erat apud Deum, & ipse conditor sæculorum Patri coæternus, & universitatis conditor) sed quod, ut superius diximus, iuxta substantiam sibi met uniens humanam naturam, navitatem

sus-

sustineret ex ipsa vulva corporea. Hæc Concilium Ephesium. Contra hanc hæresim scripsit beatus Cyrillus in libro de Recta Fide ad Theodosium: in quo libro contra plures hæreticos disputat, præcipue tamen contra hanc Nestorii hæresim. Gelasius Papa etiam adversus Nestorium, & Eutychem librum de duabus naturis in una persona. Joannes Papa alium parvum libellum de eadem re redidit. Gennadius etiam scripsit adversus Nestorium, sed hujus opus non vidi. Joannes Calsianus etiam scripsit opusculum de Incarnatione Verbi contra Nestorium, quod nunc recens est in Germania excusum.

Quarta hæresis est huic præcedenti omnino opposita, & quodammodo declinat ad secundam hæresim. Hæc autem quarta hæresis dicit unam esse personam Christi, & in hoc bene contra Nestorium: sed sicut Nestorius propter duas quas videbat in Christo naturas, duas etiam dixit personas, ita etiam hæc hæresis propter unam quam fide tenebat esse Christi personam, cogit ut ignorantiam unam tantum in Christo ponere naturam, videlicet divinam. Quia tamen videbat aperta facta scripturæ testimonia probantia Christum veram carnem habere, secundum quam natus sit de virgine, & pro nobis passus, & mortuus, dicit & fatetur filium Dei esse incarnatum, sed in ipso incarnationis momento carnem fuisse conversam in divinitatem. Hujus erroris auctor exiit quidam Eutyches, Abbas cujusdam Monasterii in Constantinopoli tempore Leonis Papæ, hujus nominis primi, & Martiani Imperatoris. Hic Eutyches dixit Christum unam tantum habuisse naturam, videlicet divinam, sicut una erat persona; quia esset fatetur Verbi incarnationem, post illam tamen unionem dicebat carnem fuisse conversam in deitatem, & ita secundum eum facta est una carnis, deitatisque substantia: quapropter coactus fuit concedere Christum fuisse passum secundum naturam divinam: quia per incarnationem carnis substantia, ut videbat, fuerat in substantiam divinitatis conversa. Hanc hæresim quem Flavianus Constantinopolitanus Episcopus damnasset, cum Eutyche illius auctore, ortum est hæc de causa aliquod dissidium inter Christianos orientales, quibusdam defendentibus Eutychem, aliis eum damnantibus. Quapropter annuente Imperatore Theodosio juniore, synodus Ephesina indicitur: in qua præfidente Dioscoro Alexandrinæ urbis Episcopo, eodem Eutychem errore (ut postea patuit) infecto, Eutyches refutitur, & Flavianus damnatur. Et hæc vocatur secunda Ephesina synodus, quæ à catholicis omnibus, velut execranda, & maledicta rejicitur: quoniam nec summi Pontificis auctoritate celebrata, nec ad eam ex Ecclesia catholica factus est generalis conventus: sed solis hæreticis convenientibus definitum est tale venenosum dogma. Post hanc Eutychem, & Dioscorum illius fautorem, parvo tempore elapso, surrexerunt alii hæretici, dicti Acephali, sic nominati, quoniam simul insurgentes, nullus repertus est, qui illorum esset princeps, atque magister. Hi duas in Christo negabant naturas, sed unam tantum affirmantes, videlicet divinam, eandem dicebant fuisse crucifixam. Et quoniam in Chalcedonensi Concilio hujus oppositum fuerat definitum contra Eutychem, & Dioscorum, hi nolunt acquiescere definitionibus ejusdem Chalcedonensis Concilii. Hæc hæresis, si bene quisque consideraverit, ab expugnatione trium præcedentium hæresum manet expugnata. Probato siquidem, ut jam probavimus, in Christo duas esse naturas, divinam videlicet, & humanam in unitate per-

Tom. I.

sonæ: conclusum tunc est contra istos, qui unam tantum naturam astruunt. Sed quoniam modum, & rationem unius tantum naturæ asserunt, dicentes substantiam carnis fuisse conversam in divinitatem, & divinitatem dicunt passam in cruce esse: hæc duo sunt à nobis pro viribus Deo duce explodenda, ut tam nefanda blasphemia non audiat. Si Christus unum tantum habet naturam, aut illa natura est omnino simplex sine ulla compositione, aut est natura composita. Si natura illa unica, quam dicunt esse in Christo, est simplex sine ulla compositione, & illa natura est divina, erit ergo Christus tantum Deus, & non homo. Non enim fieri potest ut homo dicatur, qui naturam non habet humanam: sicut album non potest dici, quod non habet albuminem. Hoc autem in expugnatione secundæ hæresis rejecimus: ubi probavimus Christum verum fuisse hominem. Et revera hæc Eutychemis hæresis valde conformis est hæresi Valentini, aut Apellis, aut Manichæi: quoniam is Eutyches (ut Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, ait in epistola, quam Leoni Papæ hujus nominis primo misit, prodens Eutychemis errores) dixit carnem domini non esse nobis consubstantialem tantquam ex nobis susceptam, & coadunatam Dei verbo, sed dicebat virginem quæ eum genuit secundum carnem, consubstantialem nobis esse, ipsum autem dominum non suscepisse carnem ex ea consubstantiali nobis. Quæ omnia jam impia, & absurda esse superius convincimus. Si autem illa natura, quam in Christo ponunt, non sit simplex, sed composita, ut puta tertia quædam ex duabus coalita, tunc sequeretur Patrem, & Spiritum Sanctum esse incarnatos, & virginem Christi matrem esse Deum, & hominem simul: quæ omnia sunt hæretica. Quod tamen oportet esse ista concedere, sic convincimus, quoniam Christus Dei filius (ut catholica confitetur Ecclesia juxta definitionem Niceni Concilii) consubstantialis est Patri, id est, ejusdem cum illo substantiæ, & naturæ. Si ergo filius Dei (ut isti hæretici dicunt) per unam, quam solum habet naturam, incarnatus dicitur, & homo appellatur: ergo Pater, qui eandem habet naturam quam Filius, incarnatus etiam dicitur, & homo vocabitur. Et eodem modo potest argui de Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus (ut in Concilio Constantinopolitano primo Ecclesia definiit) ejusdem est cum Patre, & Filio substantiæ: quapropter eadem ratione dicitur Spiritum Sanctum fuisse incarnatum, & esse hominem. Quæ omnia esse erronea, nullus est fidelis quod non videat. Et quoniam (ut suspicari possum ex dictis Gelasii Papæ contra Eutychem scribentis) hoc modo posuit Eutyches unam in Christo naturam quasi compositam, & velut tertiam ex duabus resultantem, quoniam Eutyches dicebat ante incarnationem duas fuisse naturas, sed post incarnationem unam tantum mansisse naturam, quia tunc quædam veluti confusio, aut compositio facta est naturarum: & adert Gelasius Papa exemplum eorum, quo suum errorem confirmare nituntur. Quemadmodum (inquiunt) homo una est natura ex duabus aliis composita, qua compositione, & unione facta, tertia resultat, quæ nulla illarum est: sic dicunt esse in incarnatione Verbi, ut ante incarnationem duæ fuerint naturæ, post incarnationem una tantum manserit, duabus illis in unam (ut ajunt) coeuntibus. Ideo adversus hanc compositionem secundo arguamus. Sic exponentes, nunquam Christum faciunt duas naturas habentem. Non enim eas habuit ante unionem, quia tunc

Mm

se-

secundum omnes unius tantum erat naturæ, puta divi-
næ. Neque post incarnationem, quia tunc secundum ip-
sos unius est tantum naturæ compositæ. Præterea, quid
est quod ait ante incarnationem fuisse duas, post incarna-
tionem vero unam? Quomodo enim ante incarnationem
poterant esse duæ naturæ, cum tunc verbum non esset in-
carnatum? Aut enim dicit humanam naturam quam
Deus sibi univit, ante unionem per se subsistisse, &
tunc dices filium Dei sibi univisse personam humanam,
& non naturam: & tunc duas facies cum Nestorio perso-
nas: & sic à Nestorio fugiens, ad eundem confugies.
Aut forte dicit, quod etiam non tota humana natura præ-
cesserit ante incarnationem, tamen anima ejus antea in
cælo fuerat, aut in terris conversata, & tunc in incar-
natione fuerit carni à Deo assumptæ infusa. Quod si hoc
fateris, incidis in Origenis errorem de animabus primo
creatis in cælo, & postea corpori infusis. Quem errorem
jam supra, Deo duce evincimus. Alio autem modo non
possum suspicari, quo pacto dicas ante incarnationem
fuisse duas. Rursum, si ante incarnationem erant duæ,
& post non manet nisi una: ergo per incarnationem,
aut fit alterius illarum perditio, aut fit utriusque
mixtio, & confusio: sicut cum vino miscetur aqua, ante
mixtionem erant duæ naturæ, post mixtionem est una
tantum natura. Si per incarnationem fit carnis deperdi-
tio, jam non incarnatio, sed potius (ut ita dicam) de-
carnatio dicenda esset. Si est utriusque naturæ mix-
tio, aut compositio, ita ut tertia resultet ex illa com-
positione natura, tunc oportet ut neutrius naturæ illa-
rum ex quibus componitur denominationem suscipiat.
Homo enim (ut illorum exemplo utar) qui tertia quæ-
dam est natura, ex duabus valde differentibus naturis
constans, corpore videlicet, & anima, neque animæ,
neque corporis denominationem suscipit, quoniam nec
anima, nec corpus dicitur, sed solum dicitur homo. Ita
ergo oporteret quod Christus, nec Deus diceretur, ne-
que homo, postquam naturam quandam habet ex illis
duabus compositam. Quod si forte exemplum per me
adductum magis placet de vino mixto aquæ, quod post
mixtionem retinet nomen vini, aqua conversa in vinum:
& ita forte dicas, carne conversa in deitatem per incar-
nationem mansisse in Christo nomen Dei: tunc considera
tibi etiam non manere nomen aquæ, sed solum vini, eo
quod per mixtionem aqua fuit versa in vinum: & ita
post incarnationem oporteret te concedere, Christum
non esse hominem, eo quod humanitas fuerit in divini-
tatem conversa. Deinde si una tantum est in Christo na-
tura, quomodo secundum illam poterit tam oppositas
suscipere denominationes? Impossibile enim est, ut una
eademque natura substantiales suscipiat differentias con-
trarias, quia opposita non possunt dici de eodem secun-
dum idem. Quod si opposita de eodem dicantur, oportet
ut diversa in se contineat, secundum quæ diversas
suscipit dictiones: ut homo quia corpus habet, & ani-
mam, potest dici corporeus secundum corpus, incorpo-
reus secundum animam: mortalis secundum corpus, im-
mortalis secundum animam. At quum Christus dicatur
mortalis, & immortalis, passibilis, & impassibilis, fini-
tus, & infinitus, oportet ut diversas habeat naturas,
juxta quarum diversitatem diversas litas suscipiat deno-
minationes. Non est ergo in Christo una natura compo-
sita, sed duæ simplices, quarum quælibet suis est deter-
minata proprietatibus. Error autem iste Eutychnianorum
(ut Damascenus tertio libro de Fide orthodoxa ait) &

similiter Nestorianorum, ut mihi videtur, inde ortus est,
quod nescierunt distinguere inter naturam, & personam.
Et ideo Nestorius duas cognoscens naturas, duas cre-
debat esse personas. Eutyches autem ex opposito, quo-
niam unam ferebatur, & fide credebat esse Christi per-
sonam, inde credebat oportere unam etiam tantum esse
naturam. Uterque tamen error facile, si malitia eos non
excitasset, potuisset cognoscere, & videre in hominis
supposito duas esse naturas, in quo nec pluralitas natu-
rarum concludit pluralitatem personarum: nec unitas
personæ arguit unitatem naturæ. Hoc ergo hominis exem-
plum, quantum ad hoc solum spectat, commodissimum
est, quamvis in aliis maxima sit dissimilitudo: quoniam
in homine est naturarum pluralitas in unitate personæ.
B per naturalem compositionem unius ex pluribus: in
Christo autem est pluralitas naturarum simplicium sine
ulla earum compositione, aut mixtione. Et ita in ho-
mine tres sunt naturæ, duæ diarum paritum, videlicet
corporis, & animæ, & tertia ex illis resultans, scilicet
ipse homo, qui nulla illarum est. In Christo vero duæ
sunt tantum naturæ, divina, & humana, ex quibus nul-
la alia tertia constituitur. Sed jam opus est, ut alium Euy-
tychetis, & Acephalorum communem errorem, & im-
pium blasphemiam rejiciamus, qua dicunt divinitatem
in cruce passam fuisse. Quis hoc feret? Cujus aures
non horrent audire, divinitatem, aut dolere, aut pati
potuisse? Deus siquidem cum summe perfectus sit, &
quoddam infinite perfectionis pelagus, talibus miseriis
subjici nequit. *Ego Deus* (dicit ipsemet *Malac. 3.*) *et*
non mutor. Si non mutatur, fieri necesse est, ut aut
semper doleat, & semper patiat, quod summa esset
misericordia: aut nunquam doleat, immo nec dolere possit,
nec pati. Nam si semel gaudens, & carens omni pas-
sione, postea dolet, & patitur: necessarium est, ut tunc
mutetur. Præterea Petrus Apostolus 1. 4. ait: *Christo*
igitur passo pro nobis in carne, et vos eadem cogitatione
armamini. Carne passum dixit, non deitate. Et Paulus
Apostolus (2. Cor. 13.) ait: *An experimentum queritis*
ejus, quod in me loquitur Christus? Qui non infirmatur, sed
potens est in nobis. Nam est crucifixus est ex infirmitate, sed
vixit ex virtute Dei. Passus est ergo Christus, & mor-
tuus, sed ex nostræ humanitatis infirmitate. Vivit au-
tem impassibilis, & immortalis, sed ex suæ divinitatis
virtute, quæ tanta est, ut in se nec mortem subire, nec
passionem aliquam sustinere possit. Ipse etiam Christus Je-
sus se in carne fuisse passum testatur. Nam Judæis dicen-
tibus, & petentibus ab eo: *quod signum ostendis nobis,*
quia hæc facis? Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite
templum hoc, et in tribus diebus ex-istabo illud. Ille autem
*dicebat de templo corporis sui, quod solum fuit in mor-
te, excitatum in resurrectione. Propter quod Evange-
lista quasi hoc declarans (Joann. 3.) subjunxit: Quam*
ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus,
qui hoc dicebant: et crediderunt scripturæ, et sermoni quem
dixit Jesus. Vides hic passionem ad corpus relatum, non
autem ad deitatem, quoniam illa pati non poterat. Pro-
phetiæ etiam quæ de Christi passione præcesserant, de
passione in carne loquuntur. Unde in Psalm. 21. sub
persona Christi dicitur: Foderunt manus meas, et pedes
meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Et Elaias, ostendens
voluntariam fuisse Christi passionem, sub persona ejus-
dem Christi, cap. 5. ait: Corpus meum dedi percussentibus,
et genas meas vellentibus. Et ut alia multa præteream,
quid aliud significant illæ Angelorum voces ad Christum, qui-

quibus eum interrogabant, dicentes: (*Isai. 64.*) *Quare*
rubrum est vestimentum tuum? Nominem vestimentum carnem
designans, qua vestita fuit divinitas in incarnatione.
Hæc autem caro cum fuisset suo sanguine intincta, quæ-
rebat: (*ibidem*) *Quare rubrum est vestimentum tuum? Et*
iterum: Quis est iste qui venit de Edom, in cinis vestibus de
Bostra? Adversus iam apertam blasphemiam piger plura
adferre testimonia. Ejus certe narratio pro expugnatione
sufficeret, nisi adversus homines duræ cervicis, & in-
domabilis cordis ageremus, cujusmodi sunt omnes hæ-
retici. Contra hæc hæresim sunt plurimorum Concilio-
rum definitiones. Concilium namque Chalcedonense sic
ait: Confiteentes sanctis Patribus, unum eundemque
filium confiteri Dominum nostrum Jesum Christum con-
sona voce docemus, pariter perfectum eundem in dei.
B *et in hominem eundem ex anima rationali, &*
corpore, secundum divinitatem unius cum Patre natu-
rum, secundum humanitatem eundem unius naturæ no-
biscum, per omnia similem nobis absque peccato, ante
secula quidem ex Patre natum secundum divinitatem,
in novissimis vero diebus eundem propter nos, & prop-
ter nostram salutem hominem factum: hunc unum eundem-
que Christum Filium Dei unigenitum in duas natu-
ras inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter
cognoscendum: in nullo naturarum differentiis propter
unitatem perimendas, magis autem salva utriusque na-
turæ proprietate, & in una coeunte persona, unoque
statu concurrente, non in duabus personis partiendum,
vel dividendum, sed unum eundemque filium unigen-
itum Deum verum Dominum Jesum Christum. Hæc
Concilium Chalcedonense: cuius decreto non minus
Nestorii quam Eutychetis, & Acephalorum hæresis cor-
rui. Sed quia impii Acephali, & maledicti non reci-
piunt Chalcedonense Concilium, ideo ad priora, & pos-
teriora Concilia confugiemus. Hæc namque hæresis ante
Eutychem, & Acephalos fuit. Nam Philaster, qui
longo tempore ante eos fuit, refert quamdam hæresim,
quæ dicit divinitatem in cruce doluisse, & passam
fuisse. Eandem etiam recitat Augustinus, etiam Ace-
phalis verusior, quamvis nullus eorum auctorem hære-
sis prodit. Concilium Ephesinum, quod tertia synodus
D *dicitur, circa finem suorum decretorum sic ait: Sic il-*
lum diximus passum esse, & resurrexisse, non quia Deus
verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clavos,
& transfusiones, aut alia vulnera susceperit (Deus nam-
que incorporalis, & extra passionem est) sed quia cor-
pus illud, quod ipsi proprium factum est, hoc sustinuit:
ideo hæc omnia pro nobis dicitur passus. Inerat enim
in eocorpore quod patiebatur, Deus qui pati non pote-
rat. Hæc Concilium Ephesinum. Et Concilium Hispalense
secundum decimo tertio suorum decretorum capitulo, sic
ait: Ergo sicut immaculata fides, & sancta Dei Eccle-
sia docet, constitemus Dominum nostrum Jesum Christum
intemporaliter ex Patre Deum natum, temporaliter ex
B utero gloriose Virginis Mariæ hominem æditum, & ob
hoc in una existente persona duas naturas habentem, dei-
tatis, qua ante sæcula genitus, & humanitatis, in qua
diebus ultimis æditus est: in illa secundum formam
Dei, in ista secundum formam servi constitens: in illa
Patri manens æqualis, in ista sine peccato similis nostre
conditioni: in illa inviolabilis, in ista passibilis: in illa
ex qua mori non potuit, in ista in qua mortem suscepit.
Hæc Concilium Hispalense expresse contra Acephalos.
Quibus verbis omnes hæreses præfata contra Christi per-

sonam exortæ colliduntur. Contra hæc hæresim scripsit
Geladius Papa eodem libello, quo scripsit contra Nesto-
rium. Scripsit etiam Boetius adversus eandem hæresim
unum librum de duabus naturis. Et beatus Damascenus,
libro tertio de Fide orthodoxa per singula capitula contra
singulas præfatas hæreses disputat.

Quinta hæresis est, quæ asserit Christum solum cor-
pus habuisse, non autem animam. Hujus auctor fuit Ar-
rius, ut testatur Augustinus, in lib. de Hæresibus ad
Quodvultdeum, cap. 49. sic de Arrianis loquens: „ In
„ eo autem quod Christum sine anima solum carnem sus-
„ cepisse arbitrantur, minus noti fuerit, nec adversus eos
„ ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum. Sed hoc
„ verum esse, & Epiphanius non tacuit, & ego ex
„ eorum quibusdam scriptis, & collocationibus certissi-
„ me comperi. “ Hæc Augustinus. Verum quia ex his
verbis non constat an Arrius hoc venenum repererit, an
sequaces illius de suo cerebro postea addiderint: ideo
pro nunc de Arrio tacemus. Apollinaris, de quo jam
alias diximus, hunc errorem postea suscitavit, qui com-
muniter dicitur illius erroris auctor. Philaster hæc hære-
sim recitat, nullo nominato illius auctore. Hæc hæresis
satis convincitur per ea, quæ in expugnatione secundæ
hæresis dicta sunt. Si enim Christus veram habuit na-
turæ humanæ substantiam, ergo & habuit animam, quo-
niam siæ ea perfectus homo esse non potest. Verum si
hoc apertissime eum convincat, particularibus argumentis

C non pigebit contra eum agere, Christus, passionis sue
tempore jam appropinquante, ait: (*Mat. 26.*) *Tristis est*
anima mea usque ad mortem. Et ante dixerat: (Joann. 10.)
Ego sum pastor bonus, et animam meam pro ovibus meis. Et
iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam, et ite-
rum sumendi eam. Aperta satis sunt hæc, neque ullam
parabolam redolentia. Verum his auctoritatibus (ut Au-
gustinus ait) Apollinaris respondebat, dicens Christum
animam habuisse non rationalem, sed solum eam, quæ
corpus vivificaret, & verbum ipsum loco rationalis ani-
mæ extitisse. Sed per hoc non effugit, quin dicat Chris-
tum non fuisse integrum, & perfectum hominem, ejus-
dem substantiæ nobiscum. Sed ut nullum illi pateat ef-
fugium, consideremus quid Lucas de eo dicat, cap. 2.
Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum
et homines. Quomodo autem profecerit sapientia, se-
quentia verba declarant, quoniam addit: & ætate. Juxta
id ergo profecit sapientia, secundum quod profecit ætate.
At cum secundum solam naturam humanam profecerit
ætate, consequens est ut juxta eandem profecerit sa-
pientia, quoniam secundum naturam divinam, quæ im-
mutabilis, & infinite sapiens est, nullo modo proficere
poterat. Profecit ergo sapientia secundum humanitatem.
Sed si humanitas, quam susceperit, animam rationalem
non habuit, ergo secundum humanitatem nihil sapuit,
quoniam secundum animam rationalem sapere debuisset,
non secundum corpus, aut secundum animam præcise
vegetantem corpus. Rursum, propter hoc filius Dei nos-
tram suscepit naturam, ut per naturam ab eo susceptam
nostris succurreret defectibus, & is qui sine peccato erat
nostra peccata dissolveret. Nihil ergo profuisset nobis, so-
lum carnem sine anima suscipere, quia peccata nostra
in anima erant, & non in carne, quæ peccare non potest.
Sed Christus totum hominem redemit, qui ait: (*Joann.*
7.) *Totum hominem sanum feci in sabbato. Totum ergo*
hominem Christus assumpsit, qui totum hominem rede-
mit. Demum, ille error plurimorum Conciliorum defi-
ni-

nitionibus damnatur. Concilium Romæ habitum sub Damaso Papa, sic ait: Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali, & intelligibili, dicunt Dei verbum in humana carne versatum, cum ipse filius sit verbum Dei, & pro anima rationali, & intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationalem, & intelligibilem sine peccato animam suscepit, atque salvaverit. Hæc Concilium Romanum. Cujus Concilii decreta ponuntur in libro Conciliorum generalium, non inter ipsa Concilia, sed post inter decreta Damasi Papæ. Concilium Ephesinum cap. decimo tertio suorum decretorum, sic ait: Non enim dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata sit, sed magis, quod carnem animam anima rationali sibi copulaverit, verbumque substantialiter, & ineffabiliter factus sit homo. Hæc Concilium Ephesinum. Concilium Chalcedonense sic ait: Consentientes sanctis Patribus, unum, eundemque filium consisteri Dominum nostrum Jesum Christum, consona voce edocemus pariter perfectum eundem in deitate Deum, & hominem verum eundem ex anima rationali, & corpore, &c. Hæc Concilium Chalcedonense. Contra hanc hæresim non vidi, nec hucusque scivi aliquem qui scripserit, præter beatum Ambrosium, qui in libro de Incarnationis Dominicæ sacramento, per totum septimum caput contra eam agit.

Sexta est hæresis, quæ asserit in Christo tantum unam fuisse voluntatem, videlicet divinam. Hujus hæresis auctor fuit Macharius Antiochenus Episcopus, qui condemnatus est in sexta synodo Constantinopolitana, sub Agathone Papa celebrata. Hujus hæresis fautores dicti sunt Monothelitæ, non (ut quidam corrupte dicunt) Monofelitæ: & quidam, cujus nomen sciens prætereo, derivationem nominis assignare volens, non minus impudenter, quam imprudenter, dixit: Monofelitæ dicuntur à Monofilo illius hæresis auctore. Monothelitæ dicti sunt ab una tantum voluntate, quam Christo tribuebant: quem *monos* græce valet latine tantum ac unus, *thelisis*, idem est quod voluntas. Hinc ab illis duabus dicitio est composita *monothelita*, quasi unam asserentes voluntatem. Contra hanc hæresim sic agimus, & primo ab illius patrono querendum est, an duas in Christo fateatur naturas. Si unam tantum dicit in Christo naturam, sicut unam voluntatem, tunc ad aliquam prædictarum hæresim reducendus est, quæ in Christo duas negaverunt naturas. Si vero duas in Christo fateatur naturas, sicut unam voluntatem, tunc ad aliquam prædictarum hæresim reducendus est, quæ in Christo duas negaverunt naturas. Si vero duas in Christo fateatur naturas, ergo & duas oportet eum fateri voluntates: quoniam sicut unius naturæ una est voluntas, ita plurium naturarum plures sunt voluntates. Ideo enim dicimus, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam esse voluntatem, quia una in illis tribus personis est deitatis substantia. Ita ergo in Christo, in quo sunt duæ naturæ diversæ, divinitatis videlicet, & humanitatis, oportet ut duæ sint etiam voluntates: una, quæ pertinet ad divinitatem: altera, quæ spectat ad humanitatem. Præterea, si una tantum est in Christo voluntas: ergo una tantum in Christo erit natura: quoniam sicut una natura unam infert voluntatem, ita è diverso una voluntas unam arguit naturam. Una siquidem voluntas non potest esse duarum naturarum. Rursum, si una tantum est voluntas, aut illa erit divina, aut humana, aut tertia ex illis composita sicut supra Eutyches dixerat. Si divina tantum est voluntas: ergo Christus non habuit integrum, & perfectam humanitatem ejusdem speciei cum nostra: quoniam perfecta humanitas sine voluntate esse non potest. Si autem illa una volun-

tas est tantum humana: ergo Christus non erit Deus, quoniam non potest esse Deus sine voluntate divina. Utrumque autem horum duorum probabimus esse hæreticum. Si vero dicat illum unam Christi voluntatem esse tertiam ex illis duabus compositam, tunc sequitur, quod illa voluntas, nec divina sit, nec humana: quoniam compositum non suscipit denominationem alicujus suarum partium, ex quibus componitur: & ita secundum ista oportet dicere: Christum non esse verum Deum, nec verum hominem, quia nec voluntatem habet divinam (secundum istos) nec humanam. Sed omnis his argumentis, ferentur scripturas sacras, quoniam (ut Christus ait Joann. 5.) *ille testimonium perhibet de illo. Marcus Evangelista, cap. 7. ait: Venit Jesus in partes Tyri, & Sydonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Quomodo non potuit latere cum voluit? Nonne voluntas divina omnipotens est? Nonne omnia quæ voluit Dominus fecit in celo, & in terra? Ergo secundum id quod non potuit latere, secundum id voluit neminem scire. At constat eum secundum humanitatem non potuisse latere, quia secundum illam non erat omnipotens: ergo secundum eandem voluit neminem scire, & secundum divinam voluntatem non ita voluit: ergo alia est voluntas divinitatis, & alia humanitatis. Præterea, cum Christus esset proximus passioni, dixit: (Luc. 22.) *Pater, si vis transfer calicem istum à me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Vides hic expresse duas Christi voluntates nominatas, unam divinitatis, aliam humanitatis? Nam si una tantum esset Christi voluntas, videlicet divina, quomodo fieri posset, quod Christus Patrem oraret, dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat?* Non enim est possibile, ut voluntas Patris impleatur, voluntas autem Filii non, quum una sit Patris, & Filii voluntas. Sed quia duæ sunt in Christo voluntates, una divinitatis, quæ eadem est cum voluntate Patris, secundum quam nihil à Patre petit: alia humanitatis, secundum quam quodammodo passionem nolebat: ideo suam voluntatem, id est, humanam, postponens divinæ, dicit: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Rursum, beatus Apostolus Paulus de Christo loquens (Philipp. 2.) ait: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem crucis.* Non fuit autem obediens secundum naturam divinam, quia obedientia subjectionem quamdam denotat. Secundum autem naturam divinam non erat subiectus Patri, quia secundum illam non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo. Secundum humanam ergo naturam factus est obediens. Obedientia autem voluntaria quædam est subiectio, & sine voluntate obedientia esse nequit. Illud enim quod per vim, & coactionem fit, non fit per obedientiam. Cum ergo Christus secundum humanitatem factus fuerit obediens Patri usque ad mortem, oportet necessarium ut secundum eandem humanitatem voluntatem habuerit, secundum quam pati voluit.*

Contra hanc hæresim celebratum est Concilium Constantinopolitanum, quod sexta synodus appellatur, sub Agathone Papa. Post longas ergo de hac re collationes, & disputationes in hoc Concilio habitas, tandem actione decimasextima sic definitur: Juxta quod olim Prophetæ de eo, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudit, & sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam ad æque prædicamus, & duas naturales voluntates, non con-

tra-

trarias (absit) juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem humanam ejus voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius subjectam divinæ ejus atque omnipotentis voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subijci vero voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro Dei verbi dicitur & est: ita & naturalis carnis ejus voluntas, propria verbi dicitur & est: sicut ipse ait: (Joann. 3.) *Quia descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.* Suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Hæc Concilium Constantinopolitanum. Contra hanc hæresim nullum reperi scriptorem, præter Damascenum, qui tertio libro de Fide orthodoxa, capite decimo quarto de hac re disputat, non nominat, ut solent, erroris auctorem. Unde suspicio mihi oritur, Macharium illum Antiochenum Episcopum, non fuisse primum hujus hæresis inventorem, sed alium quempiam multo illo vetustiorum, fuisseque statim sepultam, ac postea per Macharium suscitatum. Nam Joannes Damascenus, qui contra hanc hæresim disputat, per aliquot sæcula præfatum Macharium præcessit. Vixit enim Joannes Damascenus (si Joanni Trithemio credimus) sub Theodosio juniore, circa annum Domini 450. Macharius autem hic floruit sub Agathone Papa, hujus nominis primo, & ut diximus, damnatus est in sexta synodo, quæ, juxta computationem Mariani Scoti, celebrata est anno domini sexcentesimo octavo. Et Petrus Lombardus, tertio lib. Sententiarum, distinctione decimasextima de hac re agit, quamvis breviter, & persusivè. Qui autem plenus de hac re edoceri cupit, legat acta sextæ synodi, in qua satis diffuse hoc negotium inquiritur. Hujus hæresis nunquam meminit Guido Carmelita in sua summa de hæresibus, quod valde miror, cum sit viris doctis notissima. Unde convincitur, eum non legisse acta sextæ synodi. Apparet etiam, quod alias diximus, eum in veteribus hæresibus recensendis, nullum alium legisse præter opusculum Augustini de hæresibus, aut capitulum quoddam Isidori in suis Etymologiis, in quo enumerat hæreses, quæ ad suum usque tempus præcesserant. Cum enim neque Augustinus, neque Isidorus hanc hæresim numeret, utpote utroque posteriore, ideo Guido illius non meminit.

Septima hæresis nimis ingrata est Christo redemptori nostro, quoniam non agnoscit beneficium ab eo nobis collatum. Negat enim Christum crucifixum fuisse, sed Simonem Cyrenæum, qui angariatus sustulit crucem. Hujus erroris auctor fuit impius Basilides Apostolorum tempore, de quo Eusebius libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ, cap. octavo loquitur. Post hunc paucis temporibus elapso, Marcus, à quo Marcitæ hæretici dicti sunt, eisdem adhæsit errori, dicens Christum non vere, sed putative passum fuisse. Contra hanc errorem piger testimonium scripturæ asserere, cum utrumque testamentum plenam sit testimonio passionis Christi. Et dimisso veteri, in quo fere omnia per figuras, & ænigmata dicta sunt, quatuor Evangeliorum apertissima est historia enarrans Christi passionem. Nullus autem eorum ait Cyrenæum fuisse passum, sed solum portasse crucem, cui postea fuit Christus affixus. Et Paulus hoc sæpissime in suis epistolis docet. In prioribus enim epistola ad Corinthios, cap. 1. ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Et iterum: (Ibidem 2.) *Nihil me scire judicavi inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Et ut omnia alia omittam, Petrus Apostolus eo die, quo Spiritum Sanctum

Tom. I.

recepit cum aliis, prædicans populo (Act. 2.) ait: *Viri Israelitæ, audite verba hæc, Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in verbis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis: hunc definito concilio, & præsentia Dei tradidit, per manus iniquorum affligentes intermissis. Et infra: Certissime sciat ergo omnis domus Israel, qui & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Qui ergo per passionem suam mortuus est, quomodo non vere, sed putative passus est? Quod si non vere passus est, falsa est prædicatio Pauli. Contra talem insaniam non est opus plura asserere: quia, ut à principio statuimus, contra eos solos nunc agimus, qui Christo nominem per baptismum dederunt. Qui vero hæc asserunt, aut Ethnicos, aut Judæos se esse ostendunt, quoniam (ut ait Paulus 1. Cor. 1.) *prædicare Jesum Christum crucifixum, Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia.**

Octava hæresis est non minus ingrata ipsi Christo, non agnoscentem etiam beneficium tam immensum, quale nobis contulit, videlicet redemptionem nostram. Hujus hæresis auctor est quidam Bassus nomine, sub Apostolorum temporibus, de quo apud solum Philastrum reperio mentionem factam fuisse. Hic Bassus dixit, non separari salutem, neque in Christi majestate, neque in ejus presentia corporali. Hunc errorem longo postea tempore suscitavit Petrus Abailardus, qui dixit non ideo filium Dei fuisse incarnatum, ut hominem liberaret. Et ut clarior ejus stulta mens appareat, verba illius hic inferam, quæ beatus Bernardus ponit epistola 190. Ideo, inquit, sicut dicunt doctores, hac necessitate incarnatus est filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocens jure liberaretur à jugo diaboli. Sed ut nobis videtur, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permittere, ut carceratus: nec filius Dei ut hominem liberaret carnem assumpserit. Hæc Petrus Abailardus. Ecce novum alterum Goliath, qui omnibus catholicis doctoribus exprobrat omnes eos errasse, dicens: Verum hic Deo duce petra catholice fidei percussus, corruerit. Primus ergo, quod dicit diabolus nullum jus, aut potestatem habere in homine, manifeste convincitur per id, quod Dominus apud Joannem 14. cap. 14. ait: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Si nullam potestatem habebat in homine, quomodo princeps mundi vocatur? Et apertius ostendit id quod sequitur, videlicet, *& in me non habet quicquam.* Quod si in aliis hominibus nullam etiam jus, aut potestatem habebat, quid opus erat addere, *& in me non habet quicquam?* Quia tamen per verba præcedentia dixerat diabolus habere potestatem super homines, ne quid simile de eo putari posset, addidit, *& in me non habet quicquam.* Ut autem nulla nostra expositione, aut argumentatione sit opus, audi beatum Paulum expresse hoc dicentem: (2. Tim. 2.) *Nequando, inquit, det illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem, ut respiciant à diaboli laqueis à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Vides hic laqueos diaboli nominari à Paulo: & captivos homines à diabolo teneri ad ejus voluntatem. Præterea, si homines capti non erant à dæmone per peccatum, nihil ergo Christus sua morte operatus est: quoniam si nos captivi non eramus, certe oportet ut nec redempti etiam simus. Non enim redimitur, nisi qui captus est. Verum hoc ingratus, & blasphemus Petrus Abailardus concessit, dicens filium Dei non ideo carnem

Nn

af-

assumpsisse, ut hominem liberaret. Sed error iste plurimis sacre scripturæ testimoniis damnatur. Et, ut verus testamentum omittam, ad novum accedo. Apud Mattheum legimus Angelum dixisse Joseph de Virgine Maria sponsa ejus: *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et apud Joannem idem Christus ait, cap. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et in cœna ultima carnem suam dans in cibum discipulis suis (Luc. 20.) ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et calicem porrigens, ait: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Et beatus Paulus ait: (Galat. 4.) *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et alibi: (Ephes. 2.) *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati.* Et in alio loco: (Coloss. 2.) *Et vos quum mortui essetis in delictis, & praputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, adfigens illud cruci: & expoliatus principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in seipso.* Et beatus Petrus Apostolus 1. 1. ait: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati, & immaculati Christi.* Postremo illa quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, quos Joannes vidit cecidisse coram agno, cantabant dicentes: (Apoc. 5.) *Dignus es accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Ecce isti, qui redemptione per Christum facta jam fruebantur, agnoscunt redemptionem. Petrus autem Abailardus, quoniam per peccatum in captivitate diabolica detinebatur, non agnoscebat redemptionem. Contra hoc, sunt plurimum Conciliorum definitiones. In symbolo fidei ædico in Concilio Nicæno sic de Christo Filio Dei dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, atque homo factus, passus, mortuus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, venturus judicare vivos, & mortuos.* Hæc Concilium Nicænum. Et eadem fere verba ponuntur in symbolo facto in Concilio Constantinopolitano, quod secunda synodus dicitur. Concilium Ephesinum, quod tertia synodus dicitur, in ultimo capitulo suorum decretorum sic ait: *Est enim ineptum, & stultum hoc dicere, quod is qui ante omnia sæcula est consempiternus Patri, secundæ generationis egerit ut esse inciperet: sed quia propter nostram salutem, naturam sibi copulavit humanam, & processit ex muliere: idcirco dicitur esse natus carnaliter.* Hæc Concilium Ephesinum. Et idem dicit Concilium Chalcedonense, quod quarta synodus dicitur. Ecce contra Petrum Abailardum omnia quatuor Concilia, quæ beatus Gregorius dicit se venerari tamquam quatuor Evangelia. Obmutescat ergo Petrus Abailardus, & suam compescat superbam arrogantiam, qua non est verius contra omnium sacrorum Doctorum concordem doctrinam sentire. Contra hunc errorem nullum reperi scriptorem, præter beatum Bernardum, qui in quadam epistola ad Innocentium Papam, quæ est in ordine 190.

de hac re disputat à quo aliquid haufimus. Hujus hæresis etiam non meminit Guido, imo nec ipsius Petri Abailardi ullam unquam facit mentionem.

Nona hæresis negat in Christo fuisse spiritum timoris domini. Et hoc venenum etiam est à Petro Abailardo inventum, quemadmodum illi impingit beatus Bernardus illa eadem epistola, videlicet 190. quamvis contra illum non disputat. Sed eam redarguit, & convincit Elaias Propheta, qui de Christo loquens, cap. 11. ita ait: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini.* Hæc virga, quæ de radice Jesse orta est, Virgo est Maria de genere David, qui filius fuit Jesse, ut Mattheus narrat. Flos autem est Christus, qui ait: (Cant. 2.) *Ego flos campi, & lilium convallium.* Super hunc florem requievit ille septenarius spiritus, quem Elaias expressit, id est, septem ejusdem Spiritus Sancti dona, inter quæ spiritus timoris domini numeratur. Præterea, qui trepidat ponere in Christo spiritum timoris domini? An forte quia timor est imperfectior, secundum quod Joannes ait 1. 4.: *Perfecta charitas foras mittit timorem?* Et ideo forte Petrus Abailardus timens negare in Christo fuisse perfectam charitatem, negavit in eo fuisse spiritum timoris. Quod si ita est, trepidavit certe timore, ubi non erat timor. Nescivit enim multiplicem esse timorem domini. Quidam namque est timor domini servilis, cum videlicet quis propter odium peenæ, quam timeret, fugit peccatum: qui timor servilis dicitur, quia servi talem timorem confueverunt habere. Dicitur etiam initialis, quia via quædam est, & initium ad bonum. Una enim pars justitiæ est, declinare à malo, ad quam introducit hic servilis timor, & ideo initialis vocatur, de quo dicitur: (Psal. 110.) *Initium sapientia est timor Domini.* Hic timor est imperfectior, quia perfecta cuiuscumque operis executio à charitate ortum habere debet. Hic autem timor non oritur à charitate, sed ab odio peenæ. Hunc timorem perfecta charitas foras mittit: quoniam qui sic jam Deum diligit, ut ex amore Dei cuncta operetur, tunc jam definit agere propter odium peenæ. Qui enim ex odio peenæ agit, quasi coactus à peenâ quam timet, agit: quam si sciret nunquam fore insigendam, desisteret ab actione. Qui vero ex amore agit, mere libere agit. Hunc timorem Christus non habuit, quia perfectissimus habuit charitatem, quæ illum non permittebat. Alius est timor domini filialis, cum quis scilicet fugit malum ex solo amore patris, ne videlicet offendat patrem: qui ideo dicitur filialis, quia tali timore bonus filius timere debet patrem. Et hunc non solum non expellit charitas, immo eum producit charitas, & ab ea ortum habet. Et hunc timorem habuit Christus, quia à multis, immo ab omnibus malis declinavit, & non timore aliquis peenæ, sed ex solo Dei amore. Ergo fuit in eo timor filialis. Quod si adhuc contendas, dicens hunc timorem filialem habere immixtam quamdam peenam, & ob hoc illum dicas non fuisse in Christo, cujus anima fuit beata ab origine suæ conceptionis: hoc nihil obstat: quia etsi ejus anima fuit beata, nihilominus tristabat in passione, quæ tristitia multo gravior fuit peenâ, quam illa, quæ est immixta timore filiali. Ergo qui potuit tristari quum esset beatus, timere etiam potuit præcipue timore filiali, cujus si aliqua est peenâ, mitissima certe est.

Rut-

Rursum, beati, qui jam extra omnem peenam sunt, timere dominum, ut Propheta ait: (Psal. 118.) *Timor domini sanctus permanet in seculum seculi.* Christo ergo nihil sua beatitudo obstat potuit, quin Deum timeret. Verum hoc Propheta dictum, de quodam alio timore interpretatur, quem vocant reverentialem, qui non est aliud, quam quædam ipsius Dei reverentia: & hunc dicunt habere beatos. Quod si hic sit à timore filiali distinctus, & timorem filialem negent inesse beatis, sed solum quem appellant reverentialem, non tamen per hoc evaderet Petrus Abailardus, quin aliquis spiritus timoris domini (ut Elaias dixit) fuerit in Christo: quoniam cum Christus præ omnibus reveritus sit Deum, adeo ut propter illam reverentiam Paulus dicat (Hebr. 5.) eum à Deo fuisse exaudium, consequens est, ut etiam supra omnes Deum timeret hoc timore quem vocant reverentialem. Non est ergo cur Petrus Abailardus trepidat Christo tribuere timorem: quoniam etsi non habuit timorem servilem, quem perfecta charitas foras mittit, habuit tamen timorem filialem, aut reverentialem, quem perfecta charitas producit.

Decima hæresis asserit Christum sustinuisse vulnus lanceæ cum adhuc vivus esset. Hujus erroris auctor fuit quidam Petrus Joannis, ut Guido Carmelita illi impingit. Et certe miror quod homo qui vel parum latine sciat, & legat Evangelium Joannis, in hunc incidat tam apertum errorem: nisi forte superba ejus malitia illum excæcavit: quoniam beatus Joannes enarrans passionem Christi, post multa tormenta quæ Christo illata esse dicit, de morte ejus, sic ait: (Joann. 19.) *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Judei ergo, quoniam parasæve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerent eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non frangerunt ejus crura, sed unus militum lancea ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis. Hucusque beatus Joannes in Evangelio. Ex isto rum autem verborum ordine clarissime patet Christum fuisse jam mortuum cum latus ejus fuit lancea percussus. Etsi ergo Angelus de cœlo aliud annuntiaret nobis, non esset credendus. Neque causa devotionis, aut contemplationis licet mendacium fingere. Ite autem ut augetur doloris passionis Christi, dicebat licite posse dici & contemplari Christum fuisse percussus lancea, cum adhuc vivus esset. At Deus non indiget mendatio nostro. Ideo merito error iste damnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente Papa V. Hujus autem Concilii definitio habetur in volumine Clementinarum Decretalium, titulo de Summa Trinit. & Fide Catholica. Ubi postquam citavit illum locum Joannis quem nos proxime narravimus, sic definitur: *Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis, ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apostolum, & Evangelistam Joannem rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando quod Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit. Hæc Concilium Viennense definitio, cui magis quemlibet credere oportet,*

quam phantasticis hæreticorum imaginationibus.

Undecima hæresis est quæ negat Christum surrexisse. Hujus hæresis magister est Cerinthus, de quo quæ alias diximus. Hic (ut Augustinus testatur) dixit Christum non surrexisse, sed aliquando surrecturum. Hæc hæresis adeo facilliter revincitur, ut qui eam tutari velit, cogatur negare omnia quatuor Evangelia, quæ consona voce affirmant Christum surrexisse. Nam Mattheus ultimo sui Evangelii capite, & Marcus etiam ultimo, & Lucas ultimo, & Joannes penultimo sui Evangelii capite, omnes hi unanimes testantur Christum surrexisse. Præterea, si Christus non resurrexit, ergo ipse mendax est inventus, qui Apostolis suis prædixerat se post passionem suam, & mortem resurrecturum. Falsa etiam oportuit esse argumenta, & sophistica, quibus (ut Lucas ait) suam resurrectionem probare voluit. Sic enim ait: (Act. 1.) *Quibus, & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apprensens eis, & loquens de regno Dei.* Rursum. *Si Christus non resurrexit (ait Paulus 1. Cor. 1.) inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra.* Invenitur & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. In reigitur tam aperta superfluum esset longam texere disputationem.

Duodecima & ultima, quam de hac re reperio hæresim, est quæ asserit Christum in cœlos sine carne ascendisse. Hanc hæresim docuit Apelles, & cum ipso Apelle quod sciam, sepulta fuit. Hic (ut Augustinus ait) dixit Christum sine carne resurrexisse, & sine eadem in cœlum ascendisse. Quid hæc sententia fabulosus dici potest? Nulla siquidem ratione movetur, nullo argumento fulcitur, nulli fundamentum innititur: sed merum somnium, aut pura fabula apparet. Si Christus sine carne resurrexit: quis fuit ille quem in medio discipulorum constitutum octava resurrectionis die Thomas tetigit? (Joan. 20.) Cujus erant illæ manum cicatrices, & lateris vulnus, quæ Thomæ ostendit, & palpanda præbuit? Divinitas siquidem, nec oculis corporeis videri poterat, nec manibus tangi, nec cicatrices sustinere. Præterea, discipulis appaens Christus post resurrectionem, illique conturbatis, & conterritis, eo quod exultarent se spiritum videre, dixit: (Luc. ult.) *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: *Habetis aliquid quod manducetis? At illi obtulerunt ei partem piscis asii, & savorum mellis.* Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Quomodo ergo sine carne resurrexit, qui resurgens, manus, & pedes habet, savorum mellis comedit? Rursum, si Christus sine carne ascendit in cœlum, quis est ille quem Stephanus in persecutione positus vidit, dicens: (Act. 7.) *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* At Filius Dei, si carnem secludas, non amplius dicitur filius hominis. Accedit ad hæc, quod Christo ascendente in cœlum, Angeli dixerunt Apostolis: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* At cum Jesus in forma humana sit judicaturus, convincitur ut in forma etiam humana ascenderit. Adversus tam apertum mendacium, & tam clarum dem-